

D E D I C A T I O.

venit, quod in urbe populosâ. Aqua in medio est posita, adeoq; est omnium. At qui haurit, facit suam, suo vase. Hausi ego ex fonte, quem aquileges Logici construxerunt in medio regni sui foro. Hanc aquam feci meam, vase methodi instructus. Si fortè aqua, in castello limpida, feculentum quid à meo vase attraxit, veniam mihi dari postulo, fæces notari & secerni, aquam gustari flagito. Heus, quisquis es, qui boni civis titulum bono titulo possidere cupis, si concivis tuus vase sordidato hauriat aquam, ipse verò non videat sorditudinem, tu videas, annon tuum est, ipsum monere de periculo; quòd si nò purget, castigare, sed civiliter? Hoc idem ego concivis tuus expectabo à te, qui membrum es Reip. eruditæ. Crede, nihil mihi commodius, gratius nihil evenire potest, quàm civilis scitusq; castigator. Sordidulum forte an est vas meum? Potest fieri, ut ego non animadvertam, tu me oculatior videas. Mone. Purgabo quantocyus. Sordidum est planè? Increpa. Optimam in partem accipiam, & gratias agam. Sed increpa civiliter, non sarcasticè, non scurriliter. Hæc enim ratione animum mihi deditum, meaq; sanitatis studiosum cognoscam, & demereri studebo: secus si feceris, arrogantem te hominem, & sue fragilitatis oblitum enixè fugiam. Sed quorsum me abripit inscitia fervor? Verbo hîc complectar totum negotium:

gotium: